

Hs. aber zeigt uns — was bisher unbekannt war — dass das Stück einen Pollinger Kanoniker zum Verfasser hat. Obwohl der übrige Inhalt nichts Neues bietet, dürfte ein Abdruck hier nicht überflüssig sein, weil die hier vorliegende Form die älteste ist.

Anno¹ Domini 1281 nos Rudolphus canonicus et custos Pollingensis ecclesie relacione virorum discretorum didicimus videlicet sacerdotum et conversorum ordinis S. Benedicti in Laurissa necnon in prescriptione tumbe domini Tasselonis hunc primum fuisse ducem Bavarie, postea regem Longobardorum ex parte Liutpurgis uxoris sue, que erat filia Desiderii regis Longobardorum, postremoque monachum in Laurissa ordinis S. Benedicti videlicet conversum.

Iam vero prelibatum Tasselonom, ut diximus, primo fuisse ducem Bavarie ex nobili prosapia oriundum videlicet filium sororis Pippini patris Karoli Magni, que vocabatur Hillerudis nomine, didicimus, qui Domino feliciter deserviens² in cenobiis construendis, ut patet in Pollingen canonicorum regularium et in multis aliis cenobiis, defensorumque viduarum et orphanorum, iudicem strenuum, in elemosina largum. Hic vero victus³ a iam dicto Karulo ad debellandum Longobardos proficiscens cunctisque viribus prospere succedentibus genti iam supranominate ab imperatore in regem preficitur. Qui etiam heu! postmodum consilio incolarum illius terre depravatus avunculo suo Karulo se opposuit, a quo non post multum temporis elapsum in prelio publice cum suis vinculis mancipatur et per duarum pelvium ignitarum inspeccionem excecatur.

Qui penitentia ductus ad petitionem principum absolvitur et libere quocunque vellet ire permittitur. Iam vero bone memorie dictus Tasselo ob spem futurorum prospera mundi cuncta despiciens Laurissam devenit ibique sub specie pauperis habituque religioso et ab omnibus ignotus usque ad extremum vite sue terminum permansit. Post multorum vero annorum curricula iam dictus Karolus Magnus ad ecclesiam Laurissensem pervenit ibique una noctium solito more oracioni vacans Tasselonom lumine carentem per manus angeli de ara ad aram cum summa reverencia deduci prospexit. Karolus imperator summo diluculo consurgens patrem ecclesie advocat diligenterque sciscitatur, quisnam sit, cui tanta beneficia ab angelo im-

1) Ueberschrift von späterer Hand: 'de Laurissa'. 2) sic.
3) Rader a. a. O.: 'devictus precibus iam dicti Caroli'. Ebenso Riezler a. a. O.